

## Decades XXI. Thesium Theologicarum

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, M.DCC.X.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100341558X>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1710

Aepinus, Frc. Alb.







683  
No. 42  
22

Q. D. B. V.  
DECADES XXI.  
**THESIUM  
THEOLOGICARUM,**

Quas,  
præviâ censurâ  
*Summè Rev. Facultatis Theologicae,*  
privato XLII. Disputationum exercitio  
exposuit

**M. FRANC. ALBERTUS  
ÆPINUS,**

S. S. Theol. Cand.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliff. Sen. Typogr.  
Anno M. DCC. X.

1710

# NOMINA

*Nobilissimorum atque Clarissimorum*  
**DNN. COMMILITONUM,**

In spem Ecclesiæ Orbisq; Literati natorum, qvi Theses  
hasce ventilarunt, citra ullum cujusq; præjudicium,  
*forte*  
hoc ordine collocata.

- Dn. JOH. GOTTFRED ENGEL, Qvalicio-Megapol.  
Dn. J. HAHN, Anclamo-Pomeranus.  
Dn. OTTO FRIDER. SCHÜTZE, Sverin. Megapol.  
Dn. G. H. HELLMICH, Dab. Pomer.  
Dn. JOANNES AURELIUS, Gothoburgo-Svecus.  
Dn. JOACH. STEPH. KRÜGER, Materfa-Meckl.  
Dn. CAROLUS HELMERS, Werdero-Pomeranus.  
Dn. CONRADUS CURTIUS, Goldberg. Megapol.  
Dn. ADOLPH. JACOB. DANNECKER, Lubecenf.  
Dn. JOHANN. FRIDERIC. EMMEN, Lubecensis.  
Dn. HENRICUS WULFFLEFF, Neo-Brandenb. Meckl.  
Dn. HENR. CHRISTOPH. POLTZIUS, Rostochiens.  
Dn. PETRUS PETERSEN, Hufumo-Holfatus.  
Dn. ANDREAS WARNCK, Wisfariensis.  
Dn. JOH. BALTHAS. NEUMANN, Falcob-Neo-March.  
Dn. CHRISTIAN. MARTINI, Lübz. Megapol.  
Dn. CHRISTOPH. FRIDER. MENTZEL, Strelitz Megapol.  
Dn. ÆGIDIUS BOHM, Stargard. Pomer.  
Dn. CHRISTOPH. NICOL. RAMPE, Parchim-Mecklenb.  
Dn. JOH. FRIDER. ÆPINUS, Zarrentin. Mecklenb.  
Dn. ANTONIUS BALEMANN, Gedanensis.

DISPU-



Q. D. B. V.  
**DISPUTATIO I.**

De  
*Theologia.*

TH. I.



Theologia vi vocis non est sermo DEI, ut Calvino-Reformatorum multi volunt; sed sermo de DEO. λόγος quippe, in compositione cum aliâ quâdam voce, hanc non tanquam sui causam efficientem, sed tanquam objectum suum significantem respicit, ceu ex inductione patet, quando Astrologia, Psychologia, Onomatologia, Pragmatologia &c. dicitur.

II. Distinctionem Theologiæ in archetypam & ectypam, præter alios, improbat *Joh. OWENUS Lib. I. de Nat. Theol. Cap. I.* Ubi quidem concedimus, non omni ex parte eandem accuratam esse, quasi omnia distinctionis accuratâ habeat requisita; interim ut usu est receptissima, ita etiam retinenda. Ut enim ἐκτυπῶς non accuratè exprimat δὲ χεῖρῶν, sufficit quod ad hujus imitationem illa sit producta. Nam ad ἐκτυπῶν non requiritur necessariò, ut omnia δὲ χεῖρῶν sui exprimat.

III. Theologiæ genus nullus illorum, quos numerare communiter solent, quinque habituum intellectualium, si ἀνεξῆως & in rigore philosophico sumuntur, constituere potest, quandoquidem nullius illorum definitio in eandem quadrat: cui autem non competit definitio, eâ nec definitum competit. Quod si verò analogicè & in laxiore accipiuntur significatu, omnes Theologiæ facillè convenire, sufficienter probavit nostras *D. SCHOMERUS Theol. Moral. Cap. I. S. 7.* Scientiam autem in specie quod attinet, cum generis Theologiæ loco ponitur, id idè fit, quia, licet non ex naturaliter evidentibus principiis, ex principio tamen firmissimo, revelatione scilicet divinâ, cui falsum subesse repugnat, conclusiones suas probat. Hinc usus etiam invaluit, quò

A

methodo



❦ (o) ❦

methodo analyticâ, ut in Philosophiâ Scientiæ Practicæ, à Theologis disponitur.

IV. Sapientiam esse accuratum Theologiæ genus, Scholasticorum ut & Calvino-Reformatorum aliqui propugnant, cum primis *ALSTEDIUS Part. I. Praecogn. Theol. Cap. IX.* quem *CALOVIVS Part. I. Isag. in Theolog. Cap. X. S. 3. p. 231. sequ.* ex instituto refutavit. Idque non immeritò, quia Sapientiæ requisitum est versari circa omnia, id quod in Theologiam minimè quadrat. Est quidem DEUS omnia, *1. Corinth. XV. 28.* sed eminenter; ad sapientiam autem requiritur, ut versetur circa omnia formaliter.


V. Irregenos non per naturales intellectus sui vires, sed per gratiam assistentem Spiritus S. specialiter cooperantem Theologiæ sibi habitum acquirere, dum, juxta *1. Corinth. II. 14.* asserimus, hincque Theologiam eorum, quantum ad notitiam Scripturæ S. conformem & ex ipsâ illâ hausitam attinet, veram pronunciamus, consensus cum Pelagianis adeò non imputari nobis potest, (quod impotente conatu audeat *Joach. LANGIUS* tum in *Idea & Anatome Theol. Pseudorth.* tum in *Anti-Barbaro* novissimo) ut potiùs contraria sententia, (quæ ipsa est Langiana) cum per solas naturales intellectus virtutes irregenitorum Theologia comparari dicitur, à Pelagianismo nullâ excusari ratione possit.

VI. Quoad Theologiam Exegeticam sciendum est, interpretandam esse Scripturam S. non ex privato cujuslibet sensu, sed ex ipsâ Scripturâ, adhibitis in subsidium communibus bonæ interpretationis Regulis. Quas licet rejiciant fanatico spiritu abrepti homunciones, non tamen iisdem in Scripturæ interpretatione nos carere posse, asserimus.

VII. Theologiam Polemicam improbant damnantque Fanatici ac Indifferentistæ, quò sua quælibet somnia, imò & deliria obrudere eò tutius aliis possint, nemine ipsis contradicente. Ast quæ Ecclesiæ Doctor, quod in eo requiritur *Tit. I. 9.* potens erit convincere contradicentes, sublatâ Theologiâ Polemicâ? Oportet itaque, vel Adversarii sua placita Scripturæ S. præferant, vel opera danda sit Theologiæ Polemicæ abs genuino Theologiæ Cultore futuroque Ecclesiæ Ministro.

VIII. De Theologiâ Morali, communis nostri Præceptoris, Magn. Dn. D. *FECHTII Pref. ad Exeg. Schomer. in Ep. ad Ebr. S. 20.*

thesin



thesin hinc nostram facere licebit: Nos Theologiae Moralis, quae tamen alterum quasi universae Theologiae tantum constituit, laborare defectu, nemine citra dubium contradicente, ajo, neque eadem vulgò Theologiae Studiosos, qui tamen sine eà non tam Theologiae, quam alterius tantum Theologiae partis, id est, si ita loqui fas est, Semi-Theologiae Studiosi dicendi fuerant, prout par erat, imbui, non sine ratione conqueror.

IX. Quam tanto hodie opere nonnulli crepant, Theologiae Mystica Fanaticorum occultare deliria ac spiritualem (ut ita loqui liceat) quendam fastum instillare hominum animis apta est. Idcirco eandem improbandam penitusque rejiciendam esse reputamus.

X. Philosophiam, cum primis Logicam & Metaphysicam, in Theologiae Cultore improbant Fanatici, infectantur & damnant, tanquam radicem atque originem omnis altercationis, adeoque vero Theologo inutilem, ut si quis eam didicerit, tutius ipsi sit eandem plane amittere. At verò, quia Philosophia, & speciatim quantum ad memoratas Scientias attinet, ad accuratam doctrinae S. è principio suo deductionem, veri à falso discretionem, errorum refutationem, distinctionumque conceptuum formationem facere potest; eandem Theologo necessariam pronunciamus, non quidem necessitate exigentiae, expedientiae tamen. Imò, qui pro hodierno rerum in Ecclesia statu eandem ad Theologiam ipsam necessitate exigentiae necessariam dixerit, quanquam non absolutè, attamen ex hypothesi, forte non aberraverit à vero.

## DISPUTATIO II.

*De*  
*Religione Christiana & Libris Symbolicis.*

THES. I.



**R**eligio Naturalis, quam, praeter Naturalistas, novi Fanatici ac Indifferentistae tanti aestimant, licet, ad rectae scilicet rationis dictamen instituta, in suo genere vera sit, non tamen sufficiens est ad salutem aeternam consequendam. Haud enim assequitur meritum Christi: extra Christum autem sperari salus non potest, *Actor. IV. vers. 12.*

A 2

II. Soci-

II. Socinianorum Religio non est verè Christiana, nec Sociniani propriè ac strictè loquendo Christiani dici possunt. Quia enim omnia in Scripturis divinitus revelata mysteria impugnant, & Christi negant satisfactionem, eeqvomodo illi Christianorum nomen merentur? Interim, quia aliqualem habent cum Christianis convenientiam, dum utriusque Testamenti Scripturam admittunt, Christum etiam, utut pro meo homine habitum, colunt, duplici ratione, attamen æquivoce tantum, eosdem Christianos dici posse, *CALIXTUS Lib. de ver. Rel. Christ. §. 25.* concedit. I. Quemadmodum mortua membra nihilominus dicuntur membra. II. Quia sese habent instar ligneorum & fictilium vasorum, quæ non sunt in honorem, sed in contumeliam, & tamen locum habent in magna DEI domo.

III. Quam impossibile est idem simul esse & non esse, tam impossibile est consensum in fundamentalibus fidei Articulis inter Lutheranam nostram & Pontificiam Calvinoque Reformatam Religionem demonstrare.

IV. Utut politica quædam in Religione dissentientium tolerantia sit admittenda; nulla tamè vigere debet tolerantia eorum ecclesiastica, utpote *2. Cor. VI. 14. sqv.* haud sine rationibus additis, disertè prohibita. Utendum itaque Ecclesiæ Doctoribus est elencho, *Tir. I. 9.* eoque non reali solum, sed & nominali. Qui enim falsos fugere Doctores poterunt Auditores, ni ipsis consiterit, quinam fugiendi illi sint.

V. Ad conciliationem Religionum dissidentium nullatenus sufficere potest sola ceremoniarum ac rituum mutatio, etiamsi ita ordinatorum, ut iisdem planè utantur omnes. Hi enim uti ad externum duntaxat DEI cultum pertinent; ita prærequirunt verum cultum internum. Ideoque non possunt unanimiter DEum externè colere, qui internè dissidentes de DEO divinisque rebus fovent opiniones. Nam rectè colitur DEUS non potest, nisi rectè agnitus. Ideoque nec à ceremonialibus intentandâ Religionum unione initium faciendum est.

VI. Quicumque temporalis alicujus commodi intuitu, ut vel majores adipiscantur honores vel opulentiores lucentur divitias, abnegatâ Evangelicâ Religione, Pontificiæ sese mancipant, præsens quidem amplectuntur seculum, sed animæ suæ faciunt jacturam. Nec excusari coram judicio divino humanoque ullâ ratione possunt, qui ejusmodi apostasiam,



apostasiam, cum possent ac deberent, non dissuadent, vel frigidis duntaxat argumentis contra nituntur, vel planè approbant, vel promouent quocunqve alio modo.

VII. Qvi, Symbolicos Libros pro normâ doctrinæ à nobis haberi, affirmare non dubitant, haud levi nos afficiunt injuriâ, contra quam toties totiesqve protestati sunt nostri, ut mirari subeat, qvi ex ipso nostro coetu surrexerint idem, sed frustra, nobis exprobrantes. Sola Scriptura S. nobis norma doctrinæ fidei est, Libri autem Symbolici professionis ejus norma sunt.

VIII. Hinc omninò rectè fit, ut, quibus siue in Scholis siue in Ecclesiâ docendi jus conceditur, aut publicum demandatur munus, juramento, vel subscriptione jurisjurandi vim habente obstringantur, ne quid contra eos doceant, quò falsæ doctrinæ obex ponatur ac contentiones ab Ecclesiâ tollantur.

IX. Subscriptio autem illa atqve promissio absoluta esse & categorica debet, partim quia alias finis ejus non obtinebitur, partim quia limitata subscriptio dubitationem præ se fert de Librorum Symbolicorum veritate ac cum Scripturâ S. convenientia, de qua tamen satis superqve convicti sumus.

X. Et quanquam, ad multiplicationem Symbolorum sine gravibus causis procedendum non esse, faciles largiamur; hodiernum tamen Ecclesiæ statum, tot opinionum diversitate ac deliriorum multitudine oneratum, imò concussum planeqve confusum, nova efflagitare Symbola, arbitramur. Ejus enim, quam Antecessores nostri olim habuere, & nos Symbolorum condendorum hodiè causæ plus satis habemus.

# DISPUTATIO III.

De

## Principio Theologiæ s. Scripturâ Sacrà.

TH. I.



Principium cognoscendi siue objectum formale totius salutiferæ de DEO ac rebus divinis doctrinæ sola unicaqve Scriptura Sacra est. Ad eam enim solam ad æternam contententes salutem, quorsum omnis tendit doctrina Sacra, ablegamur *Luc.*

A 3

XVI.

XVI. 29. 31. 2. *Tim.* III. 15. ut nihil ei quidquam à latere sit ponendum.

II. Nullas igitur admittimus traditiones non-scriptas, quas Pontificii Scripturæ junctas volunt. Aut enim illæ idem, quod Scriptura Sacra, dicunt, aut aliquid Scripturæ contrarium, nam præter Scripturam in salutis negotio nihil est admittendum. Si igitur prius, supervacaneæ; si posterius, impiæ sunt. Utrinque rejiciendæ.

III. Hinc etiam ab eo excludimus rationem, quam Sociniani &, tantum non in omnibus, saltem opere, licet non verbis, Calvinoreformati vel ipsi Scripturæ S. præferunt. Est enim Doctrina sacra sapientia ac prudentia, non naturalis ac rationalis, sed spiritualis, *Col. I. 9. 1. Cor. II. 14.*

IV. Sicut & nullas agnoscimus aut expectamus, quales Enthusiastæ hodiernique novi Prophetæ jactant, novas immediatas revelationes, utpote quas adeò nullibi legimus promissas, ut potius denegatæ sint, *Luc. XVI. 29. & rejectæ, Apoc. XXII. 18.*

V. Scripturæ S. litera conjunctum semper sibi habet sensum Spiritus S., adeo ut hæc duo divelli ab invicem nequeant. Unde qui sensum literæ intellectu mediante verbo illuminato apprehensum habet, habet etiam sensum Spiritus S. Hinc licet aliud sit: *Literæ adest sensus Spiritus*; aliud: *Impius capit sensum Spiritus*; non tamen posterius solidè negari potest, ceu *LANGIUS in Antibarbaro p. 192.* contendit, concessò priori. Sed fluunt hæc ex præconcepta Viri opinione, Spiritum S. non illuminare hominis intellectum, nisi voluntas ejus antea fuerit sanctificatu.

VI. *SPINOZA Tract. Theol. Polit. de Libert. Philosophandi Cap. 12.* DEum auctorem Bibliorum intelligendum esse dicit, propter veram Religionem, quæ in iis docetur; at non quod voluerit certum numerum librorum hominibus communicare. Sicuti & ea, quæ merè historica sunt & ex lumine naturali percepta, in Scripturis proposita, non posse *κατ' ἐξοχήν* verbum DEI vocari putat; sed sumi nomen tantum à potiori, quando integer Scripturæ codex verbum DEI vocatur. Contra autem defendimus, totam Scripturam canonicam, tum quoad libros in eâ omnes, tum quoad res omnes omniaque verba spectatam, divinitus inspiratam DEique verbum propriè ac strictè loquendo esse, *2. Tim. III. 16. 2. Petr. I. 21.*

VII: Cum



VII. Cum Evangelium de Christo *Rom. I. 16.* potentia DEI dicitur, indicatur, conjunctum semper Verbo Divino Spiritum S. esse, ut per illud & cum illo unà spirituales operetur effectus, illuminationem puta, regenerationem, & quæ ab his dependent vel cum iis conjuncta sunt. Nec enim solus hæcce operatur Spiritus S. nec Verbum solum, sed conjunctim Spiritus S. & Verbum uno indivisoque actu. Sicuti & non minus Verbi, quam Spiritus S. ipsius potentia agendi principalis est, quia divina est, licet dispari habendi modo utriusque competat, Spiritui S. à se & per se, Verbo autem participativè. Ideoque nullo modo dici potest Verbum à Spiritu S. inter operandum elevari, sineque ejus elevatione ignobiliore virtute in effectum influere, quam ad producendum eum requiritur.

VIII. Obscuras humano intellectui captumque finitum omnem transcendentem res in Scripturis contineri, extra dubium positum est, ipsa id affirmante Scriptura, *1. Petr. I. 12. 2. Petr. III. 16.* at verò dogmata fidei & morum homini ad salutem æternam adspiranti creditu cognituque necessaria adeo planè atque perspicue proposita in illis sunt, ut abs quolibet lingvam, quã in Scripturam legit, intelligenti, cetera præconceptis opinionibus ac præjudiciis non indulgenti, judicio tamen saltem aliquali pollente ac verbis attendente intelligi queat, *Psal. CXIX. 105. 2. Petr. I. 19.*

IX. Quamquam aliqui, quos inter est *DIETERICUS Institut. Catech. L. de Scr. S. Qu. 18.* Novi etiam Testamenti libros in Canonicos atque Apocryphos distinguant; non tamen satis est hujus distinctionis causæ, quin eos æqualis esse autoritatis omnes credamus. Dubitatum de quorundam eorum vel origine divinã vel saltem ministeriali causã olim fuisse, constat, unde & in *πρωτοκανονικῆς & δευτεροκανονικῆς* ab aliquibus distinguuntur. Quam distinctionem, quatenus indicat, dubitatum de nonnullis fuisse, quò illi distinguerentur à ceteris, de quibus nullum unquam dubium fuit, quidem admittimus; si vero indicare debet, quod merito de iis dubitetur ac dubitandum sit, planè rejicimus.

X. Quando Pontificii Laicis Scripturæ S. prohibent lectionem, eosdem altero salutis obtinendæ medio privant, planè contravoluntatem Christi, *Joh. V. 39.* Si enim ad salutem perducendi etiam Laici sunt,  
non

non minus, ut audire, sic etiam legere Scripturam possunt. Idque propter varias in variis lingvis existare Scripturæ Versiones oportet, quarum tamen nulla, nec Vulgata etiam, authentica & ejusdem cum Textu Originali autoritatis censeretur potest. A quo nec Lutheranam nostram eximimus, licet eandem qualibet non tam datâ, quam quæsitâ occasione arrodere ac corrigere iniquum non solum, sed & scandalosum ducamus.

# DISPUTATIO IV.

## De Articulis Fidei.

TH. I.



Articulos fidei condendi hominesque ad eos sub necessitate quadam credendos obligandi potestas neque Pontifici Romano seorsim, neque toti Ecclesiæ, sed soli DEO competit. Ut enim solus DEUS conferre salutem æternam potest hominibus; ita & solus ipse præscribere potest quid ad eandem consequendam creditu illis sit necessarium.

II. Fundamentum fidei distinguitur in Reale & Dogmaticum. *Istud* est Christus, spectandus quatenus causa meritoria est consequendæ à DEO gratiæ remissionis peccatorum & salutis æternæ 1 Cor. III. II. *Hoc* est doctrina de Christo Ejusdemque merito, Scripturis Prophetarum & Apostolorum comprehensa, Eph. II. 20.

III. Ipsi itaque Spiritui S. in Scripturis loquenti contradicunt, qui fundamentum fidei esse docent amorem DEI ac proximi cum sui ipsius odio atque contemtu. Fundamentum quippe primum est, ipsius fundati ingrediens constitutionem, ita ut simul sit ratio vel causa, cur fundatum sit, vel esse saltem queat: quorum neutrum de dictis virtutibus affirmari potest, quæ fidem non antecedunt, nec ingrediuntur aut constituunt, sed demum sequuntur.

IV. Qui verò dixerit, in isthoc asserto: *fundamentum scilicet fidei esse amorem DEI ac proximi cum sui ipsius odio atque contemtu;*  
non

non intelligi fidem justificantem, sed confessionem doctrinæ fidei, & per fundamentum nihil indigitari aliud, quam finem, normam ac centrum, ad quod omnia referri debeant in confessione fidei; is tamen multum recedit ab hypotyposi sanorum verborum, abs Paulo non Tito solum suo, sed cuilibet etiam Christiano commendata, Tit. II.

2. Nam ipsa Scriptura S. fundamenti vocem ubiqve in sensu architectonico usurpat, quando de fundamento fidei loquitur.

V. Thomasia illa in Program. Diss. de jur. Princ. circa Heret: Errores, qui ab utroque (nimirum amore DEI & odio sui ipsius) vel alterutro horum abducunt, pro fundamentalibus & periculosissimis habeo; eos vero errores in confessione fidei, qui ab amore DEI non seducunt, nec odium sui ipsius impediunt, uno verbo, qui non avertunt nos à vivâ cognitione mysterii voluntatis divina, etiamsi errant circa varia mysteria essentia divina, utpote imperscrutabilis & omnem intellectum, etiam illuminatum superantia, pro fundamentalibus ac periculosis non habeo; si fortè non originem iis debent, haud tamen multum abire videntur ab illis SPINOZÆ in Tract. Theol. Polit. Cap. XIV: Fides non per se, sed tantum ratione obedientiæ salutifera est. Item: Nos neminem judicare possumus fidelem, aut infidelem esse, nisi ex operibus: Nempe, si opera bona sunt, quamvis dogmatibus ab aliis fidelibus dissentiat, fidelis tamen est; & contra si mala sunt, quamvis verbis conveniat, infidelis tamen est. Quod utrumque falsum, & Scripturæ pariter ac fidei naturæ adversum.

VI. Receptissima inter Theologos nec fundamento suo destituta est distinctio Articulorum fidei in fundamentales & non-fundamentales, quorum isti dicuntur, qui, salvo fidei & salutis fundamento, ignorari, vel saltem negari non possunt; hi verò, qui, salvo fidei & salutis fundamento, non solum ignorari, verum etiam negari, aut in utramque partem disputari possunt. Interim circa hos cavendum est, ne quempiam eorum in Scripturâ expressum & ex eadem cognitum negemus, utut aliàs nullam ille ad fidem atque salutem relationem dicat. Foret enim illud gravissimum peccatum, dum Scripturæ veritas in dubium vocatur, quo fides excuti potest ipseque Spiritus Sanctus.

VII. Qui in fundamentali quodam fidei Articulo errant, monitiqve pertinaciter in illo perseverant errore, pro fratribus in Christo agnoscî à rectè credentibus haud possunt, ut magis pro talibus haberi

B queant




queant rectè sentientes, etiãmi non rectè viventes, *Gal. III. 1. 15.* Diffensus autem in non-fundamentalibus non tollit fraternitatem spiritualem.

VIII. Paulus *Tit. III. 10. 11.* scribens: *Hæreticum hominem post unam alteramque admonitionem fuge, sciens, quod everfus sit, qui est ejusmodi, & peccet, ut qui suo pte judicio condemnatus; indicat quis sit Hæreticus strictè dictus, quem exinde describimus, quod sit homo circa fundamentum fidei errorem fovens eumque pertinaciter defendens. Aliàs non quivis error, in fundamentalibus licet, strictè loquendo statim hæresis dici meretur, quia errare quis potest, qui vel veram doctrinam non audivit, vel tentatus est, vel media in veritatem inquirendi neglexit, de cetero errorem promptè agnoscit, ubi veteriora illi ostensa atque probata fuerint.*

IX. Neque solum error circa primarium quendam Articulum fidei fundamentalem hæreseos nomen gerit; sed & qui est circa Articulum quempiam secundarium. Secundarii enim illi Articuli, quamvis, salvo fidei ac salutis fundamento, ignorari possint; negari tamen nequeunt. Nam qui Articulum aliquem secundarium negat, cum ostensum ei aperte sit ipseque videre queat, ejus negationem per consequentiam inferre negationem cujusdam Articuli primarii: is non indirectè tantum fundamento fidei adversatur; sed directè etiam ipsum destruit per errorem illum, qui negationem illius Articuli secundarii necessariò consequitur.

X. Articuli fidei sunt non tantum propositiones in Scripturâ expressis verbis exstantes, sed & per consequentiam ex eadem deductæ. Nec illæ solum conclusiones de fide sunt, quæ ex utraqve præmissâ scripturariâ fluunt; verum etiam quas una scripturaria, altera naturalis, sive metaphysicam sive moralem certitudinem habens, probant. Idque non propter commune illud, sed propter proprium suum principium, quod conclusionem determinat.

DISPU-



# DISPUTATIO V.

## DE DEO uno & trino.

TH. I.



DEum existere, inter Christianos sine ullâ etiam probatione supponi potest; probandum tamen nonnunquam est contra tentatos, aliâsqve præsertim contra Atheos, quales utiqve dantur tum practici, tum theoretici, hiqve non indirecti solum, sed & directi, quamvis hæsitantes tantum, cum obfirmati dari nequeant, *Rom. I. 19. 20.* Id propter necessarium esset, quò magis hodie gliscit Atheismus, eò magis à Theologia cultoribus excoli Theologiam Naturalem.

II. DEus accuratè definiri non potest, tum quia essentialia definitionis partes, videlicet Genus & Differentia specifica, nullum hic inveniunt locum; tum quia ex parte tantum & per speculum in ænigmate DEum in hac vitâ cognoscimus, *I. Cor. XIII, 12.*

III. DEus est Spiritus, *Joh. IV. 24.* adeoque essentialiam divinam destruunt, imò DEum ipsum negant, quicunqve ex Fanaticis, cum Theophrasto Paracelso, DEO æternam carnem & sanguinem tribuunt. Spiritus enim carnem & ossa non habet, *Luc. XXIV. 39.*

IV. DEum omnium esse rerum essentialiam, delirium est *Valent. WEIGELII in Astrol. Theologiz. Cap. 9. tum Scripturæ S. Es. XL. 18. Act. XVII. 29.* alibiqve; tum & rationi adversum, utpote perfectionem, simplicitatem, infinitatem, sanctitatem, immutabilitatem divinam destruens.

V. Essentialia & attributa divina, tum & hæc inter se non differunt realiter, quia DEus est ens simplicissimum; sed ratione tantum, & quidem ratione ratiocinata, quia uno simpliciqve cognoscendi actu quæ in DEO sunt omnia finitus intellectus comprehendere haud valet, ideoqve distinctos & inadæquatos eorum sibi format conceptus, præsertim quia aliter aliterqve se exferit eadem quamvis atqve una essentialia divina. Non igitur distinctio aut compositio in DEO ipso est, sed solum in intellectu nostro distingvente ac componente.

B 2

VI. Myste-

VI. Myſterium S. S. Trinitatis rectæ rationi contrarium quidem non eſt, quippe quæ non ſtatim negat, quod non capit; attamen demonſtrari rationis principiis non poteſt, neque facile eſt explicatu, uti quidem falſo nominatus *Liberius de S. Amore* (quem Joh. Clericum eſſe ferunt) *Epist. Theol. 3.* contendit.

VII. In proponendâ doctrina de myſterio Trinitatis terminis perſonæ & ὁμοῶς rectè utimur, quia & in Scripturis fundati, & per tot ſecula ab Eccleſia Chriſtiana hoc in negotio uſurpati ſunt. Quisquis igitur vel cum veteribus Arianiſ, vel cum recentioribus Indifferentiſ eosdem rejectos cupit, de ipſo hoc myſterio ſe minus rectè ſentire, ſatis apertè prodit.

VIII. Vocabulum Trinitatis in myſterio hocce proponendo adhiberi ſolitum videtur vi vocis tres tantum denotare perſonas; aſt ex uſu, qualem, qui primi iſtud heic adhibuere, procul dubio intenderunt, ſimul etiam unitatem eſſentiæ divinæ ſignificare debet, ut ſit idem ac Trin-unitas, primâ ultimæ vocis ſyllaba per apheræſin ſublata. Unde & germanicè melius vertitur *Dreyeinigkeit* / quam *Dreynfaltigkeit*. *Dreynfaltigkeit* quippe ſtrictè reddenda eſt per triplicitatem: triplicitas autem eſſentiæ diverſitatem, ſaltem numericam, dicere ſvevit, ceu ex ſimilibus vocibus: *zwiefältig* / *ſiebenfältig* / &c. colligere eſt.

IX. Perſonæ divinæ, non obſtante Filii generatione ac proceſſione Spiritus S. coæternæ ſunt ac coæquales, ita ut Filius atque Spiritus S. ſint verus ille, æternus, ſummus proprièque dictus DEus. Quia illis eſſentiale illud DEI nomen Jehovah in caſu recto tribuitur, prætereaque attributa & opera verè divina adſcribuntur, ſicuti cultus ſoli DEO debitus & ipſis debetur. Ut taceam, quomodo collatio locorum V. & N. T. v. gr. *Num. XXI. 5, 6. cum I. Corinth. X. 9. Pſ. XCV. 8. ſqv. cum Ebr. III. 7. ſqv.* idem probat.

X. Spiritus S. non eſt aura quædam divina, aut vis ac potentia DEI ſanctificans; ſed perſona propriam ſubſiſtentiam habens, quia intelligit, *I. Cor. II. 10, 11.* docet, *Joh. XIV. 26.* conſolatur, *ibid.* arguit mundum, *Joh. XVII. 8.* teſtatur, *I. Joh. V. 7.* agere autem cum ratione perſonarum eſt. Eſtque perſona divina, non totum Angelorum genus, nec præcipuus Angelorum, utpote ab Angelis diſtinctus, *I. Petr. I. 12.*

DISPU-



# DISPUTATIO VI.

## De Creatione & Providentiâ.

TH. I.



Creatio, Redemptio, & Sanctificatio sunt opera DEI ad extra, adeoque indivisa. Interim illa Patri, ista Filio, hæc Spiritui S. appropriatur. Non quod singulæ personæ in opere appropriato singulari modo se manifestaverint; sed ut ordo horum operum sit quasi speculum ordinis personarum divinarum.

II. Mundus ex nihilo partim negativo partim privativo productus est, id quod vel ipsum lumen Naturæ agnoscit, siquidem nulla materia ab æterno, aut à se ipsâ esse potest. Conf. *Rom. I. 19. 20.*

III. Creatio est opus DEI immediatum, ad quod nullâ usus est causa ministeriali, *Gen. I. 1.* Et omnes tres personæ, propter eandem numero potentiam creandi illis competentem, æque principalis ejus causa sunt, haud tamen rectè tres Creatores dicuntur.

IV. Potentia creandi ulli creaturæ (nisi cum naturâ divinâ personaliter unita fuerit, veluti humana Christi natura) communicari non potest, quia est potentia producendi aliquid ex nihilo, quam infinitam esse oportet. Nihil namque in infinitum nihil est, sicque creatio ex infinito finitum efficit.

V. Creatio operum singulis seorsim diebus productorum instantanea quidem actio fuit, *Psal. XXXIII. 9.* ast totius hujus machine, cum omnibus in eadem contentis, productio successiva actio fuit, non sex annis, sed sex diebus propriè dictis absoluta *Gen. I. 5. sqv. II. 2. 3. coll. Ex. XX. 10. 11.*

VI. Historia creationis *Gen. I. & II.* descripta non allegorice aut mystice, sed secundum literam est intelligenda. Quamquam ex eadem piis meditationibus allegoriæ ædificationi inservientes deduci possint.

VII. Datur providentia divina, non solum circa exstantiores, sed & minimas vilissimasque creaturas, *Matth. VI. 26. 30.* speciatim

B 3

vero

vero circa homines, *Matth. X. 31.* Et quantum ad horum actiones spectat, quoad effectum moralem perinde est, utrum quis neget, DEum existere, an ab eodem humana curari; cum utrumque omnem religionem plane tollat; ceu recte scribit PUFENDORFFIUS *Lib. I. de Off. Hom. & Civ. Cap. IV. S. 4.*

VIII. Concurrit DEus ad actiones hominum spirituales tanquam causa particularis, *I. Cor. II. 14. Phil. II. 13.* ad actiones autem eorum naturales tanquam causa universalis, utpote quarum determinatio ab agente particulari est.

IX. Ideoque non potest DEus, ob hunc concursum, causa peccati dici.

X. Terminum quendam vitae humanae dari, aperte constat ex *Job. XIV. 5.* dum cuilibet viventium tale temperamentum contulit DEus, vi cuius cum generali DEI concursu ad certum vivendi spatium pertinere potest. Attamen non est ille terminus fatalis aut, citra omnem ad causas secundas aliasque circumstantias respectum, absolute immutabilis, quin nonnunquam prorogetur, nonnunquam abbrevietur.

## DISPUTATIO VII.

De

*Angelis.*

TH. I.



Angelos intra creationis sextiduum creatos esse, probatur ex *Gen. I. 1. & II. 2.* Quo autem praecise die ortum nacti sint, certo non constat. Interim, prima statim die eos esse productos, probabile fit ex *Job. XXXIIX. 7.*

II. Angelos esse substantias materiales, quidam olim statuere Patres, videndi apud *BAJERUM Comp. Theol. Histor. Loc. IV. S. 3. 5.* quorum sententiam una cum Arminianis quoque propugnat *HOBBSIUS in Leviath. Cap. 34. de Civit. Christ.* Contra autem, spirituales substantias eosdem esse, probatur ex *Ebr. I. 14.* Non tamen in mera cogitatione eorum essentia consistit, veluti Cartesiani contendunt. Nam cogitationes, in creaturis, sunt accidentia



- cientia : Angeli vero sunt entia per se subsistentia.
- III. Major quidem, quam hominibus, Angelis competit scientia ; non tamen tanta, ut & internas hominum cogitationes penetrare, ac futura mere contingentia aqve libera agentium voluntate dependentia certò præscire valeant, nisi DEus illis eadem revelaverit.
- IV. Ordines Angelorum dari, patet ex *Eph. I. 21. Col. I. 16.* indeqve & quidam creatus Archangelus datur, *I. Theff. IV. 16. coll. Matth. XXIV. 31.*
- V. *Angeli sunt Spiritus administratorii, emissi in ministerium propter eos, qui hæreditarii salutem sunt, Ebr. I. 14.* Hominum tamen ministri aut servi dicendi non sunt, ut potius magnam præ hominibus habeant prærogativam, *Ebr. I. 4.* Non autem propterea sunt religiose colendi, *Apoc. XIX. 10. XXII. 9.* quamvis amandi sint, reverendi, magniqve faciendi.
- VI. Discrimen Angelorum bonorum & malorum non est à creatione eorummet; sed qvia alii in bono perstiterunt, ac confirmati in eo sunt, *Matth. XIX. 10.* alii vero sponte sua à bonitate concreta defecerunt, *Job. IIX. 44. Ep. jud. v. 6.*
- VII. Unum tantum in mundo Diabolum esse, frivole asseritur contra apertam Scripturam, *Marc. V. 9. Luc. IIX. 30.* Ast certum Diabolorum definire numerum nequimus, etiamsi aliqui ex *Apoc. XII. 4.* colligere velint, tertiam Angelorum partem lapsam esse.
- VIII. Magiam diabolicam, qva pactum cum perversissimis mortalium Diabolus inicit, dari, frustra à THOMASIO *Disp. de Crim. Mag. in dubium vocatur.*
- IX. Diabolus licet carnem & ossa non habeat, corpora tamen assumere potest, sine omni perturbatione naturæ invisibilis. Ast vero in assumto corpore eundem vitales edere operationes, nullo cum fundamento affirmari potest, siquidem in eo non existit tanquam forma informans, sed tantummodo eidem adhsitit veluti forma parastatica.
- X. Obsessionem corporalem dæmoniacam dari, evincunt exempla obsessorum in Scripturis relata & peractæ ex obsessis Diaboli expulsioniones memoratæ v. g. *Marc. V. 2. sqv. Luc. XI. 14.* Et quamquam morbos ab obsessione diabolica, hancqve ab istis discernere accuratè

curate perdifficile nonnunquam sit; quædam tamen certa habentur ac infallibilia veræ obsessionis signa, quæ inter lingvarum antea prorsus ignorantarum rerumque dissitis in locis peractarum, eospe, quo peraguntur, tempore, notitia eminet.

## DISPUTATIO IIX.

De

### Beatitudine & Damnatione æternâ.

TH. I.



Uturam esse post hanc aliam vitam, præsupposita animæ rationalis immortalitate, Gentiles ex Luminis Naturæ principiis non probabiliter solum colligere, sed & apodicticè scire potuerunt. Sicuti & diversus proborum improborumque status iisdem haud potuit esse ignotus, *Rom. I. 32.*

II. Beatitudini æternæ damnatio æterna immediate opponitur, ut adeo nullus inter easdem detur intermedius animarum status, nullum, quæle Pontificii fingunt, purgatorium. Inter fidem enim & incredulitatem finalem nullum datur medium. *Job. III. 18. 36.*

III. Posse fideles in hac vita eo perfectionis pervenire, ut vivi in cœlum tollantur æterna fruituri beatitudine, quemadmodum nova & singularis, ita omni fundamento destituta sententia est, & Scripturæ S. & experientiæ omni contraria.

IV. Æternæ beatitudinis fundamentum quidem est beatifica DEI visio, *I. Job. III. 2.* tamen in ea non consistit beatitudo ultimato, sed potius in amore DEI & ex eo resultante gaudio ineffabili. Illa enim, tanquam actus intellectus, ordinatur ad hunc voluntatis actum, quo demum DEO perfecte fruuntur beati. Interim formale beatitudinis æternæ accurate exprimere in hac vita non valeamus, *I. Cor. II. 9.*

V. In beatitudine æterna quoad essentialia spectata ex parte beatorum nulla erit inæqualitas aut disparitas graduum. Visuri enim omnes illi sunt DEUM à facie ad faciem *I. Cor. XIII. 12.* Quoad accidentalialia autem, & speciatim quoad claritatem corporum diversi beatitudinis futuri gradus sunt, *Dan. XII. 3, I. Cor. XV. 41. 42.* Quo tamen



tamen non obstante, omnes plene perfecteque beati erunt. Nec est diversitas illa à meritorum inæqualitate dependens, sed à mere gratuita DEI dispensatione, unicuilbet secundum opera sua retribuentis, *Matth. XVI. 27. Rom. II. 6.*

VI. In æterna vita, quam in hac vita habuere, scientiam non solum retinebunt beati, sed & ejusdem majora capient incrementa. Quorsum etiam pertinet, quod tum majorum atque cognatorum suorum, tum aliorum quoque eadem secum beatitudine fruendum distinctam habituri notitiam sunt, id quod ex *Matth. XVII. 3. 4.* colligitur.

VII. De damnatione æterna in prima Theologiæ parte, quæ, secundum methodum analyticam, utpote accuratissimam, ejusdem finem considerat, non agitur primario ac quasi & ipsa finis Theologiæ sit; Sed secundario tantum, partim ut opposita juxta se posita clarius elucescant, partim ut qui bonitate finis Theologiæ non moventur, consideratione miseræ alias expectandæ terreantur. Nam Theologia quæ ad damnationem ducunt adeo non præscribit, ut potius quam severissime eadem prohibeat. Nec DEus hominum damnationem tanquam eorum finem intendit, *2. Pet. III. 9.*

VIII. Carebunt damnati beatifica DEI visione, *Matth. XXV. 41. Job. III. 36.* agnoscent tamen ipsum tanquam justissimum judicem suorumque scelerum vindicem acerrimum, *Apoc. VI. 16. 17.* Inde odium in illis erga DEum enascetur, quo in malo confirmabuntur, ut peccare desituri nunquam sint.

IX. Infantes infidelium, utpote Gentilium, Turcarum, judæorum, sine Baptismo decedentes damnatum iri, vel simpliciter affirmari potest ex *Marc. XVI. 16. Job. III. 36.*

X. Ignis infernalis est ignis proprie dictus atque materialis, est etiam æternus, sine fine cruciaturus damnatos, ut ex inferno nulla speranda sit redemptio, *Matth. XXV. 41.* Judex quippe pro tribunali sententiam laturus obscure ac improprie loquuturus censendus non est.

**DISPU-**



# DISPUTATIO IX.

DE

## Homine ad Imaginem DEI condito.



TH. I.

Nte Adamum alios productos fuisse homines, Historia creationis non commemorat, quid? quod Adamus primus homo, *I. Cor. XV. 45.* & primùm factus *I. Tim. II. 13.* dicatur. Nulli igitur sunt Præ-Adamitæ. In principio DEus creavit cœlum & terram, deindeque intra sextidui spatium ordine omnia in illis contenta, ultimòque hominem, Adamum quidem primùm, postea & Evam, *Gen. I.* Quod si igitur alii ante Adamum existissent homines, oporteret, eosdem non à DEO creatos fuisse, sed genus ipsorum à se ipso ortum esse, quod contra rationem est.

II. Non minus Eva, ac Adamus, homo à DEO condita fuit, quia omnes essentialia habuit hominis partes. Sicuti & non minùs, ac illi, eidem imago divina concreata fuit, *Gen. I. 27.* quæ etiam in fœminis pariter atque in viris restaurari debet, *Ephes. IV. 23. 24. Col. III. 10.*

III. Quia DEus hominem creavit animà rationali præditum, non potuit non eidem, salvâ sua justitia atque sanctitate, sui concreare imaginem. Status proinde purorum naturalium merum est Pontificiorum figmentum. Contra, imago divina homini naturalis fuit, non quidem quod ejus constituerit naturam, aut eandem necessariò sequuta fuerit; sed quia cum naturâ hominis cœpit, eidem inhæsit, eandem perfecit & cum ipsa natura per carnalem generationem ad posteros quoque propaganda erat, potissimum autem ac principaliter, quod homini ad actus suos connaturales rectè exercendos per naturam erat debita, quâ absente natura non fuisset pura, sed impura.

IV. Et hoc in sensu etiam cognitio mysterii Trinitatis ad imaginem divinam, quatenus naturalis erat, pertinebat. Quia DEum rectè

rectè colere non potuisset homo integer, nisi eundem rectè cognovisset : non autem rectè cognoscitur DEus, si non ut Trinus.

V. Quando ab aliquibus nonnunquam spiritualitas animæ ejusque facultates, intellectus atque voluntas, ad imaginem divinam referuntur, hæc non est scripturaria, sed ecclesiastica tantum imaginis divinæ acceptio. Quinimo imago ipsa tum in latiori duntaxat significatione sumitur, prout est quælibet res alterius similitudinem exprimens, etiamsi ad illam significandam ex instituto non sit comparata. Quando igitur de imagine divina simpliciter est loquendum, rectius ab isthac loquutione abstinetur.

VI. Imago divina non consistebat unice, imo ne quidem primariò in dominio in creaturas inferiores; sed in concreata sapientia, justitia & sanctitate, Col. III. 10. Eph. IV. 24. Quicquid enim in homine per renovationem restaurari debet, in eo constitit in primo homine imago divina.

VII. Thomasianum istud dogma: Der Mensch habe auch einen guten Geist von Gott / und es sey drey Theile / Leib / Seele und Geist / und in solchem guten Geiste sey auch eine Dreyfaltigkeit / Gott / Christus und der Heilige Geist / oder Liebe / Demuth / und Keuschheit; apertum Fanaticismum sapit, ac tum Scripturæ S. tum saniori Philosophiæ repugnat.

VIII. Non apparet, quomodo immortalitas corporis hominis integri negari queat, salva litera loci Rom. V. 12.?

IX. Paradisum, in quem DEus hominem ad sui imaginem creatum collocaverat, non fuisse totum hunc mundum; sed certum duntaxat ac definitum in mundo locum, contra Weigelianos asserimus, probantes ex Gen. II. 8. III. 23. 24.

X. Mera hominum simplicium simplicitas est, qua persuaderi sibi passi sunt, in statu integritatis, si in eodem persistissemus, nullum futurum fuisse laborem. Non ipse cessasset labor. arg. Gen. II. 15. sed adjuncta tantum laborem hodie difficilem reddentia, quæ poenæ loco ipsi accedunt, Gen. III. 19. ut omnis labor nos commonefaceret, à quo defecerimus.

C 2

DISPU-

# DISPUTATIO X.

De

## Peccato Originis.



TH. I.

**D**istinctio illa Scholastica inter peccatum originis originans & originatum, licet barbara nonnullis videatur, retinenda tamen est ad rem distinctius concipiendam, quia primam illam Protoplastorum pravaricationem in Paradiso ab habitu peccaminoso inde fluente & ad posteros propagato distingvit, istam peccatum originis originans, hunc peccatum originis originatum vocando.

II. Quæ de lapsu primorum hominum *Gen. III.* leguntur, *Henr. Corn. AGRIPPA Declamat. de Orig. Pecc. Tom. II. Opp.* improprie intelligenda esse vult. Inde *arborem scientia boni & mali* dicit esse affectum carnis & prudentiam terrenorum, cujus fructus negligentia vel ignorantia DEI, ex quo mors corporis & animæ. *Arborem vitæ* autem esse cognitionem DEI ejusque assiduum contemplationem, cujus fructus sapientia & castitas, ex quo vita æterna. Per *Adamum* porro inquit indigitari fidem stabilitam in DEO, fundamentum rationis. Per *Evam* denotari rationem liberam. Per *serpentem* autem sensualitatem, quæ serpit in terrenis, caducis, infirmis & carnalibus. Ipsum itaque *lapsum* h. m. describit: *Serpens per concupiscentiam sensibilibus tentavit Evam, rationem scilicet, quæ acquiescens serpenti, ipsis puta sensuum illecebris, decepta est, quæ deinde per discursum argumentationum in sensibilibus decepit virum Adam, destruens fidem, quæ delapsa in sensibilia nihil plus veri credens, quam ex sensibilibus per rationem demonstrari potest, defecit à DEO divinæque cogitatione & contemplatione, ad quam creata est à DEO.* Hujus autem interpretationis nullum invenitur in Scripturâ fundamentum; quocirca in conceptis verbis propriè illam lapsus Historiam intelligimus, quandoquidem à proprietate literæ sine urgente necessitate recedendum non est.

Neque



Neque probabile videtur, Spiritum S. ortum peccati in genere humano impropriis descripsisse verbis, siquidem hæc revelata eum in finem sunt, ut de mali, quod nobis inhæret, origine nobis constaret.

III. Adamum jam ante esum fructus de arbore vetita peccasse desiderio more bestiarum se multiplicandi, sententia est non fundamento solum destituta, sed & in ipsam DEI sanctitatem injuriosa. Quod si enim DEUS foeminam creasset intuitu peccaminosi desiderii Adami, ut illud impleretur, nonne sic peccatum Adamiticum ratum habuisset, majoremque Adamo peccandi dedisset occasionem?

IV. Peccatum primum primi hominis, statim ut commissum, imaginem divinam abs eo sustulit, eiqve contrarium in ipso produxit habitum peccaminosum, qui per carnalem generationem ab illo ad posteros propagatur, *Psal. LI. 7. Job. III. 6.*

V. Re autem verâ peccatum originis nobis connasci, & non per solam imitationem in nobis oriri, apertissimè constat ex *Eph. II. 3.* Ira namque culpam præsupponit: Ergo qui naturâ filii iræ sunt, in iis naturâ culpa deprehenditur. Etiam si Augustinus terminum peccati originis primus adhibuit; non tamen ipsum peccatum originale signum Augustinianum dicendum est. Interim ex solo Lumine Naturæ neutiquam potest cognosci, *Rom. VII. 7.*

VI. Et ab hoc peccato nemo mortalium, quotquot per carnalem generationem ab Adamo descendunt, immunis existit, ut nec ipsa Virgo DEIPARA Maria hic excipiatur. Quod verò insulsi quidam homines finxere, Mariam non ex congressu connubiali, sed tantum ex osculo Joachimi, quod conjugii Annæ fixerat, conceptum fuisse, ceu videre est apud *OSIANDRUM Cent. XVI. Hist. Eccl. Part. I. Cap. 4.* id risu potius, quam refutatione dignum est. Christus autem sine omni, non actuali solum, sed & originali peccato fuit, qui nec confecto naturæ ordine genitus est. Vid. *Luc. I. 35. Ebr. VII. 26.*

VII. Est autem peccatum originis tum in anima ejusque facultatibus, *Gen. VI. 6. Eph. IV. 18.* tum in corpore hominis, *Rom. VI. 12. 13.* Attamen *πρωτον γεννητον* ejus est anima, non corpus, quod illius subiectum mediante demum anima, cui cum membris suis subest.

VIII. Hinc tollitur radix peccati originalis non demum in cinesatione corporis, sed in ipsa animæ à corpore dissolutione. Per re-

generationem autem & justificationem solus reatus ejus tollitur.

IX. Peccatum originale non est substantia, nec semen Diaboli, quod ille severit in cordibus hominum, dum in naturali & corrupto statu permanent; sed accidens, utpote de quo non substantiæ, sed accidentis adjuncta Scriptura prædicat, *Rom. VII. 21. Ebr. XII. 1.*

X. Nihilominus peccatum hocce tam tetra est & profundissima naturæ humanæ corruptio, ut omnem abstulerit à nobis arbitrii libertatem in spiritualibus, & voluntatem tantum ad malum spirituale inclinet, *I. Cor. II. 14. Rom. VII. 14--21.* In naturalibus tamen relicta remansit aliqua voluntatis libertas, *Rom. II. 14. I. Cor. VII. 37.* quamvis & eadem, ob varia impedimenta, debilis admodum ac imbecillis.

## DISPUTATIO XI.

De

### Peccatis Actualibus.

TH. I.



Motus actusque inordinati, qui præter voluntatem etiam nonnunquam hominibus oriuntur, licet renatis ad condemnationis reatum actu non imputentur, quia ab illis per poenitentiam statim retractantur; sunt tamen in se veri nominis peccata, & legi divinæ adversa, ac in non-renatis verè mortis meritoria.

II. Non enim ad peccatum necessariò requiritur, ut sit voluntarium; quin Johannes *I. Ep. III. 4.* peccatum simpliciter per ἀνομιὰν describat, nullâ mentione voluntarii facta.

III. Unde cadit distinctio inter peccatum Philosophicum & Theologicum, quam commenti sunt Jesuitæ, rejiciunturque hæ theses: *Nullum esse peccatum formale, nisi conscientia hic & nunc juricet de malitia. Peccatum committi posse ab eo, qui DEum ignodat invincibiliter, & sic non esse formalem offensam DEI, nec mereri poenam ignis aeternam. Peccatum philosophicum non semper imputabile esse peccanti ut factum contra DEum ejusque legem, adeoque*



adeoque non apparere, unde semper mereatur poenam sensus aeternam.

IV. Quando peccata in Venialia & Mortalia distingvuntur, fundamentum distinctionis hujus non in Lege, utpote quæ ob qualibet peccata damnat, Deut. XXVII. 26.; sed solo in Evangelio quærendum est. Hoc enim solum docet, peccata propter meritum Christi fide apprehensum peccatori remitti, ut, quam alias merentur, mortem spiritualem, quamprimum committuntur, actu non inferant.

V. Peccatum in Spiritum S. est irremissibile, Matth. XII. 31. 32. Marc. III. 29. Luc. XII. 10. idque non quoad actum solum, quod istud peccatum nunquam remittatur; sed & quoad potentiam, quod remitti non possit, quia per se viam ad poenitentiam præcludit.

VI. Quia gratia DEI universalis est, Ezech. XXXIII. 11. I. Tim. II. 4. universale etiam est meritum Christi, tum ad omnes homines pertinens, Job. III. 16. tum omnia respiciens peccata, I. Job. I. 7. & Verbum divinum peccatoribus in Spiritum S. propositum potentia DEI est ad salutem, Rom. I. 16. non poterit dici, peccatum in Spiritum S. absolute irremissibile esse.

VII. Nec etiam recte dicitur, peccatorem in Spiritum S. jam in hac vita non amplius in via, sed in statu gehennali esse. Status viæ enim est status sub gratia DEI universali antecedente, & viatores comprehensoribus contradistingvuntur. Quemadmodum igitur hi sunt beati, qui metam jam attigerunt; sic isti sunt omnes homines sub gratia DEI universali hanc vitam viventes, quamdiu eam vivunt. Non enim illa nisi cum hac vita terminatur.

VIII. Licet peccatum in Spiritum S. irremissibile est, peccatum tamen in Filium hominis est remissibile, Matth. XII. 32. non quod Filius per assumptam carnem minor aut inferior factus sit Spiritu Sancto: sic enim & Pater Spiritu S. inferior dicendus foret, quia etiam quæ adversus illum committuntur peccata remissibilia sunt, peccato in Spiritum S. irremissibile pronuntiatio; sed quod peccatum in Filium hominis non est pertinax omnium salutis mediorum rejectio. Vel remissibile dicendum illud est propter absentiam συνδεσµῆς indistinctæ omnium requisitorum peccati in Spiritum S. essentialium; quemadmodum loquitur KOENIGIUS Theol. Posit. Acroamat. Part. II. §. 173.

IX. DEUS

IX. DEus non active seu efficienter homines indurat, sed permissive tantum, i. e. ex justo iudicio gratiam illis suam subtrahit, quo in graviora subinde scelera prolabantur. Non tamen proprie loquendo dici potest, DEum peccata peccatis punire. Quamvis enim, quod ut poena à DEO est, respectu hominis fiat peccatum, non tamen ut peccatum à DEO est. Etenim DEus deferens hominem justo ex iudicio permittit eum in graviora ruere peccata, non ut velit ipsa illa peccata, sed tantum ut hominis desertionem peccatorumque permissionem velit.

X. Non dantur homines jam in hac vita adeo penitus indurati, ut ab omni gratia divina, etiam eà, quæ præveniens dicitur, exclusi sint adeoque converti plane nequeant. Hæc namque sententia universalitati gratiæ divinæ ac meriti Christi repugnat. Interim dari homines induratos, qui, omnem gratiam divinam respicientes, converti nolint, inficias ire nequimus.

## DISPUTATIO XII.

### *De Prædestinatione & Reprobatione.*

TH. I.

**D**atur universalis DEI gratia, per quam tantquam voluntatem antecedentem omnium omnino hominum salutem serio intendit, utque per media ab ipso ordinata eandem consequantur, vult, *Ezech. XXXIII. 11. I. Tim. II. 4. 2. Pet. III. 9.*

II. Quandoquidem autem DEus ab æterno præviderat, non omnes homines hæc media debite accepturos esse, hinc voluntate consequente alios prædestinavit ad salutem æternam, alios reprobavit.

III. Minime vero decretum prædestinationis & reprobationis absolutum est, quasi DEus pro mero voluntatis suæ beneplacito aliquos elegerit ad salutem, alios vero æternæ adjudicaverit damnationi; sed est ipsum conditionatum, factum intuitu prævisæ fidei vel incredulitatis



dulitatis finalis. Quoscunqve enim DEus in tempore salvat aut damnat, eos solos salvare aut damnare ab æterno decrevit. Sed solos finaliter fideles in tempore salvat, *Marc. XVI. 16. Job. III. 16. 36.* & solos finaliter incredulos in tempore damnat, *Marc. XVI. 16. Job. III. 18. 36.*

IV. Intuitu autem operum bonorum electio facta non est, quippe quæ est effectus solius gratiæ DEI mere gratuitæ, *Rom. XI. 5. 6. Eph. I. 4. 5. 6. II. 8. 9.*

V. Frustra Pelagianismi inculsamur à Calvino-Reformatis, propterea quod docemus, homines prædestinatos esse ad salutem æternam intuitu fidei finalis, adeoque in homine prædestinationis deprehendi causam. Pelagianum quidem esset, si in homine dari diceretur prædestinationis causa ab ejus propriis viribus, studio aut conatu dependens, aut si propter fidei, tanquam operis virtutem ac dignitatem prædestinatio facta affirmaretur; sed nos dicimus, prædestinatos ad salutem esse homines intuitu fidei, quæ est opus DEI ac supernaturale donum, quatenus existit medium apprehendendi nobisque applicandi Christi meritum. Et hoc à Pelagianismo plane alienum est.

VI. Prædestinationis vocabulum ex usu loquendi Scripturis usitato tam late non capitur, ut electionis & reprobationis genus sit; quin per inductionem probatum sit, nullibi Scripturarum prædestinationem in malam partem sumi, ut pro decreto reprobationis usurpetur. Quid? quod, si DEus ad damnationem, etiam ad causas damnationis homines prædestinasset, quod dictu blasphemum. Nam qui finem vult, is etiam vult media ad finem istum ducentia. *Conf. Rom. VIII. 30.*

VII. Quamquam DEus omnium hominum salutem velit, non tamen inde sequitur, cum omnes etiam ad salutem æternam elegisse, quæ sententia olim D. Sam. Huberi fuit, ex confusione dilectionis & electionis, voluntatis DEI antecedentis & consequentis profluens. Licet autem mens Huberi mala non fuit, modus tamen loquendi hypotyposi sanorum verborum repugnabat, accedente cum primis, quod contrariam sententiam ut erroneam, impiam ac in misericordiam DEI injuriosam damnaret, id quod nullatenus tolerandum erat.

VIII. Falsæ huic hypothese Huberianæ alius superstruebatur error, quod scilicet decretum electionis sit mutabile quæ itidem Armianorum ac Socinianorum est sententia, contra *Rom. IX. 29. 30. 2. Tim.*

D

2. Tim.



2. *Tim. II. 19.* Quæmadmodum notitia divina certa est ac infallibilis; ita &, quæ secundum illam prævisionis notitiam facta, electio certa & immutabilis est.

IX. Non audent Calvino-Reformati suam de prædestinatione ac reprobatione doctrinam clarè, distinctè & perspicuè in Ecclesiis explicare, verentes, ne omnibus fermè execrationi essent, & ab Auditoribus plerisque desererentur, qui nunc illos in oculos ferunt. Nobis verò doctrina hæc est solatii plenissima, Christianisque hominibus utilissima sive fidem eorum spectes, sive vitam; quare & eandem publicè in templis docemus, imò docere tenemur, arg. *Matth. X. 27.*

X. Utut Calviniani in Supralapsarios & Infralapsarios sese distingvant, in fundamento tamen ac principali doctrinæ suæ parte intimè conveniunt, ut itaque hæc eorum attendere distinctionem causam nihil juvet, sed horum non minùs, quam istorum sententia planè rejicienda sit.

## DISPUTATIO XIII.

De

### *Christi Naturis & Personâ.*

THES. I.



Explicita de Christo Redemptore notitia ad salutem æternam consequendam simpliciter necessaria est, *Job. V. 39. XVII. 3. Act. IV. 12.* Unde nec, quam Pontificii confingunt, fides implicita ad salutem sufficit, nec Gentilium quisquam salvatus dicendus est, nec salvari potest, uti quidem crassiores Indifferentistæ contendunt.

II. Christus & verus DEus & verus homo est, *Job. I. 14.* talemque eum esse oportebat, quò redimere genus humanum ac cum DEO reconciliare posset.

III. Sententia Anabaptistarum aliorumque Fanaticorum, duplex Christo corpus adscribens, cœleste ac spirituale alterum, alterum carnale & visibile, ut adèò Christus jam fuisset *οὐρανίου*, antequam in utero matris carnem assumeret; ex Valentinianorum hæresi

refi defumta videtur, & ſpiritualitati ac æternitati DEI repugnat. Scriptura S. aliud, qvam qvòd in utero matris virginis aſſumit, corpus Chriſti ignorat.

IV. Licet peccatum originale, à qvo eſt corruptio humane naturæ, Chriſtus non aſſumſerit, ipſam tamen totam humanam naturam aſſumſit, *Job. I. 14. Gal. IV. 4. Ebr. XI. 14. 16.* adeoqve & corpus, qvòd exhibuit ad mortem, *Matth. XXVII. 35.* & animam, *Matth. XXVI. 38.*

V. Cum Divinâ naturâ unita eſt humana, ita ut duæ illæ naturæ unam conſtituant perſonam, ſiquidem divina humanam naturam aſſumſit in ſuam hypochtaſin, unde una perſona, quæ eſt & dicitur *Θεὸς ἀληθινός*. Hincqve Maria recte dicitur mater *Θεοτόκος*, *Luc. I. 35.*

VI. Ex unione personali fluunt propoſitiones personales, partim in Scriptura totidem verbis exſtantes, partim his æquivollentes, quæ veræ ac reales ſunt; inuſitata tamen, licet non in Theologia, tamen in Philoſophia, cum ſimile exemplum in totâ rerum natura non inveniamus.

VII. Conceſſâ vera ac reali duarum naturarum unione hypochtaſtica, non poteſt negari communicatio idiomatum, & qui diſputationes de communicatione idiomatum contra Adverſarios inſtitutus rident ac tanquam rem nullius momenti traducunt, eo ipſo oſtendunt, perinde ſibi eſſe ſi vel omnis de myſterio incarnationis doctrina ex Eccleſia eliminaretur, cum tamen in illa fides noſtra fundetur ac fundari debeat, *Eph. II. 20. coll. I. Cor. III. 10. ſeqv.*

IX. Qvòd ſi multipreſentia corporis Chriſti in S. Coena conceditur, concedenda qvoqve eſt ejusdem omnipreſentia, ſiquidem iſta non minùs atqve hæc naturæ corporis repugnare videtur. Qvare fruſtra nos, ob aſſertam humane naturæ omnipreſentiam, Eutychniani erroris inſimulant, qui ipſi ejus in Coenæ Sacramento multipreſentiam defendunt.

IX. Chriſtus non ſecundum ſolam divinam naturam, ſed & ſecundum humanam religioſè colendus & adorandus eſt, *Job. V. 22. 23. Phil. II, 9. ſqv.*

X. Diverſitas ſententiarum inter Theologos de numero ac ordine generum communicationis idiomatum, non infert ullum qvoad rem ipſam inter eos diſenſum, ſed methodum duntaxat doctrinæ reſpicit.

# DISPUTATIO XIV.

## De Officio & Statibus Christi.

TH. I.

**V**ulgata est officii Christi distinctio in Propheticum, Sacerdotale atqve Regium, à quâ ut recedamus, officio Prophetico ad Sacerdotale revocato, nihil solidæ causæ allegari potest.

II. Christus Propheta non tulit novas leges, sed legem divinam tantum explicavit, & à corruptelis Pharisaicis vindicavit.

III. Christus verè satisfecit pro hominibus, iisdemqve omnibus, nec ipsis induratis aut peccatoribus in Spiritum S. exceptis, *1. Joh. I. 7.*

IV. Non poterat DEus hominibus remittere peccata, aut æternâ beatitudine eos donare, nisi justitiæ ipsius satis fuisset factum abs homine, qui simul DEus esset. Infinita enim justitia læsa infinitam postulat satisfactionem, qualem nudus homo præstare non valet. Ut autem Christus pro nobis satisfaceret, DEus verè omnia omnium hominum peccata eidem imputavit, *Es. LIII. 6. 2. Cor. V. 21.*

V. Equidem redemptio Christi eò tendit, ut à reatu peccati redempti ex morte etiam peccati ad vitam spiritualem reducamur, ac in sanctitate vitæ confirmemur atqve crescamos, *Rom. VI. 4. coll. Rom. IV. 34.* non autem hac suâ redemptione facit, ut redempti in hac vita ab omnibus peccatis eorundemqve radice plenè liberentur vitamqve per omnia sanctam vivant, cum nemo hic à peccatis vacuus esse queat.

VI. Frustrâ Judæi Messiam expectant, Regem mundanum futurum, & frustra etiam Chiliastræ ante finem mundi mundanum Christi regnum sperant, *Joh. XIII. 36. 1. Cor. XV. 25. 26.*

VII. Duplex est Christi status: exinanitionis & exaltationis, descriptus *Es. LIII. Phil. II. 6. 17.* uterqve ad humanam tantum naturam pertinens, siquidem divina natura exinanitionis & exaltationis incapax est.

VIII. Christus in triduo mortis nullam quidem habuit vitam naturalem, sic enim vere mortuus non fuisset; attamen in ipso fuit vita personalis, quæ denegari ei haud potest, nisi ipsa negaretur unio perso-

perso-

personalis. Et hac ratione etiam in triduo mortis verus homo dicendus est.

IX. Resuscitavit se Christus ipse ex mortuis, etiam secundum humanam naturam vi potestatis divinae sibi communicatae, *Joh. X. 18.*

X. Neque ascensio in caelos, neque sessio ad dextram DEI infert localem quandam Christi secundum humanam naturam inclusionem; sed ista visibilis tantum praesentiae per ascensum subtractionem & negationem importat, haec vero nihil aliud, quam plenarium ac incessantem divinae Majestatis, in ipso conceptionis momento carni Christi communicatae, usum, quo antea se abdicaverat, denotat.

# DISPUTATIO XV.

## De Regeneratione & Conversione.



TH. I.  
Vocatio quidem divina, quae proprie loquendo non nisi per Evangelium, ex accidenti autem tantum per Legem fit, *Gal. III. 21. 22. 24.* universalis est; interim propterea non omnes statim homines regenerantur ac convertuntur, cujus tamen causa nullatenus in DEO residet, sed in ipsa hominum perversa voluntate gratiae Spiritus S. reluctante quaerenda est, *Act. VII. 51.*

II. Illuminatio ordine non sequitur, sed antecedit regenerationem, sicuti & alias actus intellectus ordine priores sunt actibus voluntatis, nec credere in eum homo potest, quem antea non cognoverit, *Rom. X. 14. Conf. Act. XXVI. 18.*

III. Verissimum est, regenerationem esse spiritualem quandam animi statusque hominis mutationem, est enim transductio ejus ab infidelitate ad fidem. Minime vero per eandem ipsa hominis essentia ac natura mutatur, aut ipse homo, ceu loqui amant Fanatici, deificatur, ut adeo regeneritus & irrogenitus non accidentaliter tantum, sed essentialiter ac specie ab invicem differant,

D 3

IV. Etiam-

IV. Etiamſi extraordinaria quædam admittatur regeneratio & converſio, quando DEus ſine ordinatis mediis externis hoſce ſpirituales operatur effectus; ordinariæ tamen, quoad adultos, ſunt per Verbum lectu vel auditu perceptum, neutiq̄am vero à ſubſtantiali quodam, quod in homine ſuperellet, interno lumine, quod efficaciam ſuam exerat, ſicubi homo ab omni uſu ac meditatione Verbi externi abſtineat, imo ſeſe abſtrahat ab omni cogitatione interna; quemadmodum Quackeri ac Quietiſtæ docent.

V. Converſio in ſe tota ſolius DEI opus eſt, ad quod ſuis viribus homo nilquidquam plane conferre poteſt, *Eph. II. 4. 5. 6. Phil. II. 13.*

VI. Non præfixit DEus peccatoribus peremptorium quendam terminum, ut intra ipſummet convertantur, eo autem elapſo gratiam iis ſuam deneget, ut converti, ne quidem cum optent deſiderentve, poſſint. Talis enim peremptorius gratiæ divini terminus cum infinita DEI miſericordia ſimul ſtare non poteſt, & Scriptura gratiam DEI erga peccatores tum ratione objecti, tum ratione temporis univerſalem prædicat, *Ezech. XXXIII II. 2. Pet. III. 9.*

VII. Poteſt homo reſiſtere gratiæ divini converſi ordinariæ ac per media agentis, *Act. VII. 51.* nec tamen propterea potentia hominis divinam potentiam ſuperat. Quæ autem naturalia in homine deprehendi unquam poſſunt converſionis ejus impedimenta, à virtute divina Verbo indita ſuperari poſſunt.

VIII. Etiam ſera poenitentia ſeria & vera eſſe poteſt; non tamen differenda eſt poenitentia, quin quæ ſera eſt, raro ſit vera. Et qui gratiam promiſit, non promiſit craſtinum.

IX. Confeſſio & abſolutio privata, prout nos inter viget, expreſſum quidem mandatum in Scriptura non habet; non tamen Scripturæ adverſa eſt. Et quia contritis cordibus multum affundere conſolationis apta eſt, non eſt in gratiam Adverſariorum abroganda, id quod etiam ſine infirmiorum ſcandalo fieri non poſſet.

X. Quando abuſus aliqui circa eandem notantur, non poterunt illi ipſi confeſſioni aut abſolutioni privati in ſe conſideratæ imputari. Neque abuſus uſum tollere poteſt.

DISPU-



# DISPUTATIO XVI.

De

## Justificatione & Renovatione.

TH. I.



Justificatio, per quam homo peccator justus coram DEO dicitur, non consistit in infusione justitiæ habitualiter inhærentis; sed in sola justitiæ Christi imputatione, & non-imputatione injustitiæ nostræ, *Rom. IV. 5. 6. 7. 8. 2. Cor. V. 19. 20.* Etiam si autem sic justus coram

DEO dicatur homo per denominationem tantum extrinsecam; vera tamen est hæc denominatio, quemadmodum & alias in Moralibus denominationes quamvis extrinsecæ tantum, veræ tamen atqve reales haud infrequentes occurrunt.

II. Opera bona Justificationem nec antecedunt nec ingrediuntur, adeoque nulla prorsus ratione causa Justificationis nostræ dici possunt. *Rom. III. 20. 24. 28.*

III. Cum sola fides justificare dicitur, per particulam exclusivam non excluduntur à causis justificationis gratia DEI atqve meritum Christi; sed sola opera. Particulæ namqve exclusivæ non excludunt nisi opposita: sed gratia DEI, meritum Christi & fides non sunt opposita, sed subordinata.

IV. Fides alium respectum dicit ad justificationem, ad sanctificationem alium, unde duplex ei competit virtus: una, qva Christi apprehendit meritum, per quam, tanquam primariam, justificationis causa existit, *Rom. III. 28. Gal. II. 20.*; altera, qva, tanquam secundaria, influit in sanctificationem & bona operatur opera, *Gal. V. 6. Jacob. II. 17. 20.* Et hæ fidei virtutes in doctrina de justificatione nequaquam sunt confundendæ.

V. *Quamprimum homo peccator per fidem justificatus est, incipit ejus unio mystica cum DEO; sunt verba Königiana.* Unio igitur mystica effectus est justificationis, nec eam antecedere aut fundamentum ipsius dici potest. *Vid. Rom. V. 1. Gal. III. 26. 27.*

VI. Reno

VI. Renovatio seu sanctificatio sequitur unionem mysticam, minime verò ejus fundamentum aut antecedens causa est. Statim enim regenerationem & justificationem sequitur unio mystica, *Gal. III. 26. 27. Ephes. III. 17.* qvo eodem in loco etiam Apostolus opera sanctificationis unioni mysticæ postponit. Ergo sola fides, non autem opera fidei sunt unionis hujus causa.

VII. Renovationis primum collatæ causa media est Verbum Divinum, *Jac. I. 18. 21.* non tamen illud solum, sed & Sacramentum Baptismi, *Rom. VI. 4. Tit. III. 5.* Ergo Sacramentum Cœnæ Domini- nicæ etiam medium est renovationis qvoad confirmationem ejus atqve continuationem.

IX. Renovatio transitive & intransitive, seu active & passive spectari potest. Priori in acceptione, prout est actio DEI renovantis, semper perfecta est, nisi DEO imperfectionem quampiam adscribere velimus, qui est ens perfectissimum, & modus operandi sequitur modum essendi. In posteriori autem acceptione, prout passionem denotat seu receptionem in homine, oppidò imperfecta est, ob radicem peccati originalis per omnem hancce vitam etiam in renatis subsistentem, *Vid. Rom. VII. 14. sqv.*

X. Habet interim Renovatio suos gradus, ut nunc decrementa, nunc incrementa iterum capere possit, *Phil. I. 9. 10. 11.* Unde de obtento supremo, aut & qui supremoproximus sit, renovationis gradu, qvo gaudens ulterius in vitæ sanctimoniâ progredi non possit, ullus mortalium sibi gratulari nequit. Qvanquam ad hoc pervenire homo sanctificatus possit, ut per gratiam Spiritus S. peccata contra conscientiam evitet, *Rom. V. 20. 21.* & in luctâ carnis ac spiritus victor evadat, carne supressa, *Gal. V. 24.*

X. Hominem regnitum & sanctificatum esse filium DEI naturalem, sententia est *Valent. WEIGELII Part. II. Postill. p. 287.* scribentis: *Sie solten die Schriftgelehrten sagen / ob wir filii adoptivi wären / oder wesentliche Kinder Gottes: wir sind natürliche Kinder Gottes / durch die Gnade Christi / und das ist die neue Geburt.* Sed Scriptura nullibi nos vocat DEI filios naturales, qvina nos prædestinaverit DEus in filiationem, *Eph. I. 5.* Filiumqve suum misum legisubjecerit, ut nos adoptionem acciperemus, *Gal. IV. 4. 5.* Contradicit itaqve sibi ipsi Weigelius, dum naturales nos esse DEI filios, per Christum,



Christum, asserit. Ast fuit hoc ex Fanatica illa sententia, hominem in regeneratione novam, eamque spiritualem ac vere divinam ex Christi ipsius carne accipere essentiam, & in unione mystica ita cum Christo uniri, ut dicere de se possit: Ego sum Christus.

# DISPUTATIO XVII.

De

## Verbo Legis & Evangelii.

TH. I.



**T**Am Legis Moralis, quam Evangelii finis per se est salus hominum æterna. De illa Vid. *Levit. XVIII. 5. Rom. X. 5. de hoc Rom. I. 16.* Utrumque salutem promittit non absolute, sed sub conditione aliqua: Lex quidem sub conditione perfectæ impletionis, *Lev. XVIII. 5. Rom. X. 5.*

*Gal. III. 12.* Evangelium autem sub conditione fidei, *Job. III. 16. Rom. X. 9.* Quia igitur in hac imbecillitate à quoquam Lex impleri haud potest, hinc salutem actu non præstat, sed ad solum Christum in Evangelio monstratum nos ablegat, *Gal. III. 23. 24.* ut sine operibus Legis sola fide salvemur, *Rom. III. 28.*

II. Quando aliqui dicunt, Legem Moralem in Novo Testamento abrogatam esse quoad rigorem exactiōnis; non immerito huic asserto ab aliis contradicitur, ob clarissimam literam *Rom. III. 31.* Vid. Magn. Dn. D. FECHTII *Syll. Recent. Controv. Diss. XXXIV. th. 12. XXXIX. 8.*

III. Leges autem Ceremoniales & Forenses per Christum abrogatæ sunt, ut iis in N. T. non teneamur, *Col. H. 14. 17. Ebr. X. 1. 8. 9.* Nihilominus quæ in Legibus sive Ceremonialibus sive Forensibus occurrunt, quæ quoad substantiam juris communis sunt, adhuc hodiernum obligant, licet non ad singulas circumstantias in V. T. definitas. Sicuti & Christiano Magistratui licitum est ex Ceremoniali-

E

moniali-



monialibus aut forensibus Legibus particularis quamlibet juris repetere nonnulla subditisque præscribere suis, si id è re vel Ecclesiæ vel Politicæ esse iudicaverit.

IV. Non potest DEus hominem aut ullam creaturam rationalem creare ex legem, salva sua sapientia & Iustitia. Oportet enim creaturam rationalem rationali su naturæ convenienteræ vivere, ad quod sine omni lege fieri haud potest.

V. Hinc DEus hominum cordibus inscripsit Legem naturalem, *Rom. II. 14. 15.* eamque absolute immutabilem, ut nec DEus ipse eandem abrogare, aut ei derogare, aut in ea dispensare possit.

VI. Sacrificia non sunt Legis Naturalis, sed mere Ceremonialis, neque in statu integritatis, si in eo homines perstitissent, ullum fuissent habitura locum. Finis namque sacrificiorum erat Christus, *Ebr. X. 1- 24.* qui, si homo non peccasset, in mundum non venisset. Cessante autem fine, cessat & id, quod propter finem est.

VII. Evangelium prima vice revelatum est statim post lapsum generis humani in Paradiso, promissione Seminis mulieris caput serpentis contrituri. *Gen. III. 15.*

VIII. Et unum prorsus idemque est Veteris ac Novi Testamenti Evangelium, *Act. IV. 12. XV. 11.* in Novo tamen Testamento clarius id revelatum est, *2. Tim. I. 10. Ebr. IX. 9. 10. X. 1.*

IX. Promissiones Evangelicæ de salute æterna, quæquam à fide suspendantur, sunt nihilominus mere gratuitæ, *Rom. III. 21. IV. 16.* ut *Act. XX. 24.* expressè dicatur *Evangelium gratiæ DEI.* Non enim fides hic spectatur absolute, ut est actus aut habitus: sic namque salutis æternæ causa nullatenus est; sed relative, quatenus fertur unice in meritum Christi, quod apprehendit.

X. Frustra dicitur à recentioribus quibusdam, Pericopas Evangelicæ, quæ singulis Dominicis festisque diebus populo in Ecclesia prælegi ac explicari per multa secula solitæ sunt, incremento Christianismi non inservire, contra assertum Pauli, *2. Tim. III. 16. 17.* Recte itaque retinentur, utpote quæ nec sine infirmiorum scandalo abrogari aut mutari possunt.

DISPU-

# DISPUTATIO XIIX.

De

## Sacramentis.

TH. I.



Sacramenti nomen qvanqvam Scripturarium non fit; nihil tamen causæ subest, cur ipsum traducant Fanatici ac ex Theologiæ Systematibus expunctum velint. Sed facile animadvertitur, initio à sublatione nominis factò, eò illos tendere, ut ipsa res hoc nomine significata tollere-

tur. Ceteroqvin cum *Apol. Aug. Conf. Art. VII. p. 202.* libenter dicimus: *Nemo vir prudens de numero aut vocabulo (Sacramento- rum) magnopere rixabitur, si tamen illa res retineantur, quæ habent mandatum DEI & promissiones.*

II. Nihil quidquam Sacramentum esse aut haberi potest, quod non sit divinitus institutum: quæ autem instituta à DEO sunt, sunt vera & efficacia gratiæ conferendæ & obfignandæ media, quæ operantur ipso opere operato fidem; actualem autem justificationem & salvationem ex opere operato ac sine fide non conferunt.

III. Neque intentio neque qualitas Ministri Sacramenta administrantis, pius sit an impius? Sacramentorum efficaciam derogare aut addere aliquid potest, quippe quam, ut supernaturalem virtutem, à sola causa principali instituyente habent. Sunt enim media conferendæ gratiæ divinæ, ad quam homo nihil conferre potest, præter solam mediorum administrationem & applicationem.

IV. Ordinariè citraque necessitatis casum administratio Sacramentorum soli competit publico Ministerio Ecclesiastico; in casu autem extremæ necessitatis etiam Laicus aut foemina extraordinariè Sacramenta administrare potest. Sic in *Art. Smalcald. Tract de Potest. & Prim. Papæ pag. 353.* dicitur: *in casu necessitatis absolvit etiam Laicus, & fit minister ac Pastor alterius.*

E 2

V. Infantes

V. Infantes baptizari, non licere solum, sed & debere, quæ apertissimè constat ex Locis *Marc. X. 14.* & *Job. III. 5.* inter se collatis. Quin & præceptum de baptizandis omnibus gentibus *Matth. XXIII. 19.* infantes etiam complectitur, tanquam gentium complexu comprehensos.

VI. Apertè Scripturæ S. contradicunt, qui Baptismum aquæ externum hodie non ampliùs observari debere; sed solum sufficere Baptismum Spiritus internum, contendunt, simul Baptismum aquæ à Baptismo Spiritus distingventes. Contra ipse Christus necessitatem Baptismi ad salutem æternam inculcat, unumque ac eundem esse Baptismum aquæ & Spiritus indicat *Joh. III. 5.* *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cælorum.*

VII. Quackerorum thesi: Sacram Cœnam pane & vino administratam, pro Apostolis tantum esse institutam, nec porrigere se longiùs, nos quoque non esse obligatos ad S. Cœnam ita celebrandam; opposuisse sufficit verba *Catech. Maj. p. 560.* *Clarum textum in ipsis Christi verbis habemus: Hoc facite in mei commemorationem. Hæc sunt verba nobis præcipientia & jubentia, quibus iis, qui Christiani censei volunt, mandatur & præcipitur, ut utantur Sacramento.*

VIII. Quemadmodum vi verborum institutionis corpus & sanguis Christi verè ac realiter præsens est in S. Cœna, & cum pane ac vino distribuitur communicantibus; ita etiam verè ac realiter ore corporis sumitur ac bibitur. Idque non à piis solum, sed & ab impiis, quanquam soli illi salutaris ejusdem fructus & effectus participes fiant, his judicium sibi ipsis edentibus ac bibentibus, *I. Cor. XI. 27. 29.*

IX. Si quod aliud, certe transubstantiationis Pontificiorum dogma prorsus absurdum est, & Scripturæ Sacræ, *I. Cor. X. 16.* & sanæ rationi repugnans, cum accidentia nequeant esse, sublato eorum subjecto proprio.

X. Secundum institutionem Christi Laici ab usu calicis in S. Cœna

Coena arcendi non sunt. Neque conflagranda hic aliqua est concomitantia, nisi ipso Christo prudentiores videri velimus.

# DISPUTATIO XIX.

## De Fide & Bonis Operibus.

TH. I.



Ides infantibus per baptismum regeneratis denegari haud potest, nisi antea virtus & efficacia divina ipsi Baptismo fuerit denegata. Interim fides infantum minus est nobis explicabilis quam fides adultorum.

II. Fides adultorum plane non potest esse sine explicita credendorum notitiâ. Qui enim credere quis aliquid potest, quod simplici mentis apprehensione non antè cognoverit? Vid. *Joh. XVII. 3.* & fidei opposita incredulitas dicitur ignorantia, *Eph. IV. 18.*

III. Adeoque fides implicita seu carbonaria, uti dicitur, Pontificiorum ad salutem æternam consequendam non sufficit. Multò adhuc minus vera salvifica fides cum errore intellectus circa fundamentalem quendam doctrinæ fidei articulum consistere potest, uti quidem indifferentiæ falsò sibi imaginantur. Error autem circa non-fundamentalia fidem per se non tollit.

IV. Cognitionem Christi, quoad ejus incarnationem, passionem & mortem, esse quasi rudimenta, quibus utuntur pueri, quibus renati, postquam eruditiores & perfectiores facti, minus utantur; sententia est prorsus abominabilis, omnem fidem tollens, & in Quackeris meritò damnatur.

V. Fides non est solorum electorum, *Luc. IIX. 13.* potestque ipsa totaliter amitti, *Ezech. XII. 24.* *Ebr. VI. 4. 5. 6. 2.* *Pet. II. 20.*

E 3

VII. Fi-

VI. *Fides duplici respectu consideratur, ut concurrat ad justificationem hominis sive gratiam divinam effectumque obedientiae & iustitiae Christi obtinendum, & ut hominem actu vel habitu aliquo obedientiae ac virtutis perficit. Illo respectu pertinet ad Evangelium, Gal. III. 12. 13. 14. hoc verò ad legem, Matth. XXIII. 23. SCHOMERUS Theol. Moral. Cap. VII. §. 3. Est itaque fides causa salutis, non quatenus legis, sed quatenus Evangelii effectus est.*

VII. *Vera fides nunquam est sine bonis operibus, Gal. V. 6. Jac. II. 17. 20. non tamen rectè dicitur, fidem, quatenus operosa est, justificationis & salutis causam esse. Sive enim particulam quatenus reduplicativè sive specificativè exponas, operibus aliqua causa ad justificationem & salutem relatio hac locutione adscribitur, quibus autem nulla hinc competit causalitas, Rom. III. 28. IV. 5. Confer. Epit. Form. Conc. Art. III. p. 586.*

VIII. *Bona opera necessaria sunt salvandis; non autem ad salutem consequendam necessaria sunt.*

IX. *Inter opera Legis & bona opera nihil prorsus intercedit differentiae, ita ut opus propterea dicatur bonum, quia Legi conforme est; sicuti malum dicitur opus, quod Legi difforme est. Nam in humanis nihil est bonum, nisi quod normae ac regulae suae congruit: operum autem humanorum praeter Legem alia norma proxime non datur.*

X. *Gentilium opera Legi Naturae conformia absolute & in se bona sunt; relative autem considerata ad complacentiam DEI mala sunt & peccata. Bona sunt ratione substantiae suae; ratione subiecti agentis sunt mala. Imo & reatorum nullum tam bonum est opus, cui non aliquid mali insit. Omnis namque defectus malus est. Non tamen reagentis istud malum in damnationem vergit, Rom. VIII. 1.*

DISPU-

# DISPUTATIO XX.

De

## *Ecclesia & Statibus in eâ Hierarchicis.*

TH. I.



Ecclesiæ distinctionem in visibilem & invisibilem optime observat *Aug. Conf. Art. 7.* istam describens per congregationem Sanctorum; in hac vero malos & hypocritas admixtos Sanctis & vere credentibus esse, *Art. 8.* concedens. Estque hæc distinctio plane necessaria, cum prædicata Ecclesiæ *Eph. V. 27.* occurrentia visibili Ecclesiæ nullatenus competant. *Conf. Rom. II. 28, 29. 1. Pet. III. 4.*

II. Caput Ecclesiæ solus Christus est, non Pontifex Romanus, quem nec secundarium aut subordinatum Ecclesiæ caput dicere possumus, qui potius est Anti-Christus, cujus omnes in eum notæ conveniunt.

III. Non equidem diffitemur, ut alibi terrarum, ita & in nostro Lutheranorum coetu homines reperiri vitiis variis deditos peccataque, aliquando enormia etiam, perpetrantes; non tamen propterea tota Ecclesia nostra Babelis infamia notanda erat. Veram potius Ecclesiam nostram esse dicimus, cum ei competant veræ Ecclesiæ notæ, pura Verbi Divini prædicatio & legitima Sacramentorum administratio. Nam quod etiam vita sancta inter Ecclesiæ veræ notas referri vult, id omni fundamento destituitur.

IV. Quamquam una eademque persona ad plures diversosque status respectum dicere possit; ipsi tamen status confundendi inter se non sunt. Sunt quippe pro diversitate status diversa quoque hominum officia. Et sic quoque distinctio inter Clericos & Laicos merito apud nos retinetur.

V. Ministerium Ecclesiasticum, ut à DEO institutum planeque

que in Ecclesia militante necessarium est; ita ipsum ex intentione DEI semper efficax est, sive Minister ipse pius sit sive impius. Non enim à Ministro, sed à DEO est Verbi & Sacramentorum efficacia. Quare nec Ministris impiis dona administrantia Spiritus S. deneganda sunt.

VI. Differentia Episcoporum & Presbyterorum non est juris divini, Scriptura utroque vocabulo Ministros Ecclesiæ promiscue indigitante. Vid *Act. XX. 17. 28.* introducta autem est humana constitutione ad bonum ordinem Ecclesiastico Ministerio conciliandum.

VII. Dum Quackeri Magistratui curam Sacrorum, jus belli & pacis, jus gladii, titulos honoris, signaque honoris externa denegant, quid aliud agunt, quam quod his sublatis ipsum Magistratus officium sublatum velint? contra *Rom. XIII. 1-8.*

VIII. De Conjugio optime *Apol. Act. Conf. Art. XI. de Conj. Sacerd. p. 247.* Evangelium permittit conjugium his, quibus opus est. Neque tamen hos cogit ad conjugium, qui continere volunt, modo ut vere contineant. Hanc libertatem & Sacerdotibus concedendam esse sentimus, nec volumus quenquam vi cogere ad cælibatum, nec contracta matrimonia dissolvere.

IX. Non repugnat Christianismo omnis bonorum temporalium & corporalium cura, neque dominia rerum Evangelio contrariantur, quorum communio sine ingenti societatis humanæ perturbatione ac detrimento introduci nequit.

X. Homo Christianus sedulo cavere debet, ne se huic seculo conformet, *Rom. XII. 2. 1. Pet. I. 14.* Interim tamen non omnes recreationes, quæ per ludos, aut saltationes, aut comœdiarum spectaculum fiunt, modo absit abusus, Christianis interdictæ sunt.

DISPU-

# DISPUTATIO XXI.

## De Novissimis.

### TH. I.



Ors piorum per accidens, propter meritum Christi, remissis peccatis, fit à morte ad vitam migratio; ast in se spectata est poena peccati, *Rom. V. 12. VI. 23.*

II. Animæ piorum statim ab eorum à corporibus dissolutione æternam consequuntur beatitudinem, *Luc. XXIII. 43. Job. V. 24. Phil. I. 23.* sic & animæ impiorum statim æternam subeunt damnationem, *Luc. XVI. 23. 1. Pet. III. 19.* nullæ autem in intermedio quodam statu detinentur.

III. Corpora defunctorum honesto ritu, sed sine superstitione, sepelienda & in terram recondenda sunt, *1. Cor. XV. 37.* ut in cineres ibi resolvantur, *Gen. III. 19.* Ast manifestò impii, & de quorum poenitentia dubitatur, honesta sepultura merito privantur. Qvi corpora demortuorum à corruptione præservare student, ab ordinatione divina abire censendi sunt.

IV. Quia corpora non in nihilum abeunt, sed in principia duntaxat sua resolvuntur; resurrectio eorundem numero corporum eò minus impossibilis à Socinianis & Quackeris pronuncianda erat. Quam Scriptura ubiqve asserit, ubi de mortuorum resurrectione loquitur.

V. Mortui in Resurrectione recipient etiam sexum & partes seu membra omnia, quæ in hac vita habuerunt, licet non ad veterem usum redintegrandum: tamen ad integritatem corporis organici. Piorum autem corpora in ipsa resurrectione reddentur gloriosa; & si forte in hac vita membris quibusdam privati fuerint, tunc illa recipient. *BAJERUS Part. I. Comp. Theol. posit. Cap. IX. §. 7. not. (e)*

VI. Regnum millenarium, inter resurrectionem mortuorum & iudicium extremum, futurum, quo Christus cum fidelibus suis in

F

hac



hac terra visibiliter sit regnaturus, merum somnium est, non solum in *Aug. Conf. Art. XVII.* damnatum, sed & Scripturæ S. ignoratum, quæ resurrectionem mortuorum cum iudicio extremo, hocque cum illa immediate conjungit. Vid. *1. Thess. IV. 16. 17.*

VII. De signo Filii hominis ad iudicium extremum appropinquaturi, quòdnam futurum sit? variæ offenduntur sententiæ, de quibus probabiliter disputari potest. Probabilissimum nobis videtur, fore illud gloriam ipsius Christi iudicis, consistentem in fulgore corporis ipsius, splendore nubium, angelico comitatu, *Matth. XXV. 31.* ac ingenti sono *1. Thess. IV. 16.*

VIII. In iudicio, ut vocatur, discussionis etiam beandorum peccata publice recensitum iri, probabilissimum videtur, ob universalitatem locorum *Eccles. XII. 14. Rom. XIV. 10. 12.* quò non quidem pudeant, aut quovivo modo angantur; sed tamen indignitatem suam agnoscentes gratiæ divinæ erga se magnitudinem magis admirentur ac celebrent.

IX. Consummationem mundi iudicium extremum antecessuram esse, multi statuunt, præsertim Scholastici, videndi apud RUDRAUFFIUM *Syll. Extens. Controv. Theol. Diss. XXII. de Consumm. Sec. Qv. I.* Ast verior est sententia, iudicium extremum seculi consummationem antecessurum esse.

X. Nec minus de eo disputatur: Num mundus quoad substantiam, an quoad qualitates tantum sit interiturus? Posterius quæ defendunt, magno numero eundem apud RUDRAUFFIUM l. c.

*Qv. 2.* videri poterunt. Prius autem nos asserimus.

SOLI DEO TRINUNI,  
laus honor & gloria  
sine fine!











103 (o) 104

# DISPUTATIO

De  
Novissimis.

TH. I.



**M**ors piorum per accidentum Christi, remissis peccatis vitam migratio; ast in se spectati, *Rom. V. 12. VI. 23.*

II. Animæ piorum corporibus dissolutione æternam beatitudinem, *Luc. XXIII. 43. Job. V. 24. Phil. I. III. 19.* nullæ autem in intermedio quodam statu


III. Corpora defunctorum honesto ritu, sepelienda & in terram recondenda sunt, *1. Cor. XV. 42. Gen. III. 19.* Ast manifestò impoenitentia dubitatur, honesta sepultura merito pro mortuorum à corruptione præservare iudicium divina abire censendi sunt.

IV. Quia corpora non in nihilum abeunt duntaxat sua resolvuntur; resurrectio eorundem minus impossibilis à Socinianis & Quackeris proquam Scriptura ubique asserit, ubi de mortuorum loquitur.

V. Mortui in Resurrectione recipient etiam sua membra omnia, quæ in hac vita habuerunt, uterem usum redintegrandum: tamen ad integritatem non restituentur. Piorum autem corpora in ipsa resurrectione resurgescent; & si forte in hac vita membris quibusdam præteritis illa recipient. *BAJERUS Part. I. Comp. Theol. not. (e)*

VI. Regnum millenarium, inter resurrectioem & iudicium extremum, futurum, quo Christus cum

F



702

41

the scale towards document

me-  
e ad  
pec-  
  
m à  
ntur  
im-  
Pet.

one,  
neres  
um-  
cor-  
ione

cipia  
n ed  
at.  
one

par-  
d ve-  
rga-  
orio-  
tunc  
S. 7.

orum  
is in  
hae